



SERENISSIMO  
FRANCISCO  
MARIÆ II. URBI-  
NI VI. DUCI OPTIMO  
AMPLISSIMO-  
QUE.



*Urea & percele-  
bris Platonis Phi-  
losophorum sapi-  
entissimi confir-  
mata & plenè  
comprobata sen-  
tentia, in te unice*

*fuit, SERENISSIME PRINCEPS,  
felicissimè scilicet actum iri cum re-  
gno, ubi vel Rex ipse philosopharetur,  
ac doctrina animum suum excoleret,  
vel sapientes & eruditos homines con-  
stitueret, qui totius regni administra-  
tionem fidelissimè gererent. Id utrumq;*

*effectum est abs te miro ipsius regni  
plau-*

plausu, & universali gentium acclamatione. Plato idem solidioris doctrine fons, duo philosophia munera atque officia esse voluit, nimirum divina nosse, & humana gubernare, & tunc demum felices ac beatas fore Respublicas & Regna significavit, cum Rex divini cultus, cœlestiumque rerum cognitionem haberet, optimaque institutione leges administraret, vel prudentibus viris hoc exequendum manderet, & publicis commodis consulens populos in officio contineret. He sunt quidem duæ anchoræ, quas ad confirmandam navium dimittendas Thebanus ille censebat. He sunt nutrices geminæ, quas Jovi suo antiquitas apponebat. He, & Adrastia recti moderatrix una, Sancti justique tributrix altera. Has ad regnorum gubernationem conservationemque necessarias judicavit antiquitas. Virtutes istæ, quam tutiores, firmioresque sunt, quam illæ quibus Græciam Philippus Macedonia Rex à se teneri coercerique asserebat; hæc certè virtutes (inquam) tibi

dvi-

divinitus data sunt: Imperium tuum,  
SERENISSIME DUX, mi-  
randum in modum exornant, ac no-  
men, gloriamque tuam latissime vaga-  
ri permittunt: Et hinc est, quod inter  
precipua hujus seculi ornamenta ferè  
solus cumulatissimis laudibus eveha-  
ris; In quibus nunc immorari mihi  
non licet: Illas enim quanto magis co-  
narer extollere, eo minus assequerer.  
Caterum, quoniam Medicinam tan-  
topere tibi placere significasti, eamque  
scientiam retinere cum multis Regi-  
bus percuperes, id etiam summa cum  
ratione facis: Commodum enim Ada-  
m 220111 communiis periculis lapsus erat, cum  
ab ipso DEO Medicina tradita fuit:  
Etenim quemadmodum anima se no-  
xia & morti subjecit Cacodemonis astru  
& invidia; ita corpus variis statim  
morbis & morti obnoxium fuit; ut ve-  
rè cum Poëta dicere possim, & profilit  
agmine facto morborum omne genus.  
Propterea Dominus fragilitatis hu-  
manæ misertus, communi saluti salu-  
tari pœnitentiæ, & potissimum miseri-



cordia sua sub venire constituit. Corporis verò imbecillitati medicinam & medicum rationis participem creavit, sig<sup>3</sup> lumen præbuit, & notas ostendit, ut herbarum, lapidum, mineralium (ut ita dicam) animaliumq<sup>3</sup> omnium proprietates cognoscens, morbis ipsis curationem adhiberet. Quamobrem in Ecclesiaste hoc ad verbum contestatum fuit; omnis medicina à DEO est; & iterum: Altissimus de terra creavit medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam; item præcepit: honora medicum: propter necessitatem enim creavit eum Altissimus. Et iterum: Da locum. Medico: etenim illum Dominus creavit, & non discedat à te, quia opera ejus sunt necessaria. Monet quoq<sup>3</sup> DEUS vegeto corpori Medicinam afferi; ante languorem (inquit) adhibe medicinam; quid aliud hoc inquit, quàm medicamentis uti oportere, & corpus tueri, quo minus in morbum incidat? Illud unum mihi venit in mentem vehementer admirandum, serpentis astu in orbem terrarum mor-  
terra

rem intrasse; Illud etiam mirum, ex  
Viperæ serpentis nece & ejus carne, ab  
omnibus gravioribus morbis, atq; ve-  
nenis curari, & in pristinum restitui,  
sed continuato Viperina carnis usu ab  
omnibus morbis præservari. Hoc certe  
totum omnem admirationem superat  
& excedit. Quare cum ego hujus Vi-  
peræ naturam satis cognitam habe-  
rem, à Philosophis, Medicis, & Theo-  
logis traditam, ab historicis memoria  
commendatam, libellum multarum  
rerum vulgo incognitarum operæ præ-  
tium me facturum existimavi, ut eas  
in unum collectas nomini tuo dicarem,  
**SERENISSIME PRINCEPS,**  
ex omnibus, quos hic Sol vidit un-  
quam, de literis & literarum professo-  
ribus optimè merite: quòd nullum de  
musarum catu excludere, nec tristitia  
nulla ex parte cum Augusto dimittere,  
sed in auribus & in oculis, Trajani il-  
lius optimi exemplo, libenter ferre so-  
les, & facilem (quod in Pompejo lau-  
dat Cicero) te præbere dignaris. Igitur  
Amplitudo tua hæc lucubrationes

huiusmodi cunctæ sint, quas hodie hilariter offerimus, pacato vultu & liberali manu (quod facis) suscipe; & si à publicis negociis, Regni que tui onere, quod non sine insigni honore & gloria sustines, quandoq; licebit respirare, illis impende, non quod Regem τὸν πολύ-  
γυτον hisce chartis egere ad confirmandam sapientiam existimem, sed ut Amplitudo tua potius post tam longa studia, in quibus evigilas assidue, habeat, in quo se oblectet, & manifesta in occultis natura vestigia divinitus impressa intueatur, & mala majori bono copulata natura consistant. Vale, & Nestoreos annos vive feliciter, servi mancipiūq; tui memor. Pisauri Calend. Januarii 1589.

AMPL. TUÆ

Servus

Baldus Angelus Abbatius  
Eugubinus Medic.  
Physic.

VEN-